

non accipienda sic ut fiant quæ præcipiuntur ab eis, aut colantur quæ coluntur ab eis. Nec præter suam potestatem Deus ostendit esse, quod ista contingunt: sed quasi quæreretur cur ea permittat, causam tentationis exposuit, ad cognoscendam eorum dilectionem, utrum eam habeant erga Deum suum; cognoscendam vero ab ipsis potius, quam ab illo qui scit omnia antequam fiant.

QUÆSTIO XX.

« Post tres annos produces omnem decimam fructuum » tuorum, in illo anno pones illud in civitatibus tuis, et » veniet Levita, quia non est ei pars neque sors tecum; et » advena et pupillus et vidua, quæ in civitatibus tuis; » et manducabunt, et saturabuntur, ut benedicat te » Dominus Deus tuus in omnibus operibus tuis, quæ- » cumque feceris<sup>1</sup>. » Ex ista decima non dixit ut ipse manducet cum suis: ac per hoc Levitis et advenis et pupillis et viduis eam jussit impendi. Sed obscure positum est, quia non est distincta ista decima ab illa, quam voluit cum Levitis in eo loco manducari, quem Dominus elegisset templo suo. Sed in ea interpretatione, quæ est ex Hebræo, apertius hoc distinctum reperimus. Ait enim: » Anno tertio separabis aliam decimam ex omnibus, quæ » nascuntur tibi eo tempore, et repones intra januas » tuas, venietque Levites, qui aliam non habet partem » nec possessionem tecum, et peregrinus et pupillus et vi- » dua, qui intra portas tuas sunt, et comedent, et satu- » rabuntur; ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in » cunctis operibus manuum tuarum, quæ feceris<sup>2</sup>. » Primo hoc ipsum planius est quod ait: « Anno tertio; » intelligitur enim uno anno interposito: in Septuaginta autem, quoniam « Post tres annos » dixit, incertum est

<sup>1</sup> Deut. xiv, 28, 29. — <sup>2</sup> Sic habet Vulgata.

utrum eos medios esse voluerit, ut quinto quoque anno fieret. Deinde cum ait: « Et separabis aliam decimam, » satis ostendit extra esse illam, quam voluit eum ipsum qui offert, manducare cum suis et Levitis in eo loco, quem Dominus elegisset. Et hanc enim aliam decimam intra januas suas eum ponere præcepit, non ad eum locum deferre, ubi Dominus se voluit invocari. « Et ve- » niet, inquit, Levites, qui non habet partem nec pos- » sessionem tecum, et peregrinus et pupillus et vidua, » qui intra portas tuas sunt, et comedent. » Hinc certe manifeste verum est, non istam decimam Deum fieri voluisse communem ei qui offert, et his quibus impendenda est; sed illis solis erogari eam jussit, qui aliud non haberent, in quibus præcipue Levitem posuit. « Post » septem annos facies remissionem<sup>1</sup>. » Hic certe manifestatur, quomodo et superius dixerit, « Post tres an- » nos. » Non enim et hos septem annos medios esse voluit: uno quoque anno eam fieri præcepit, tanquam sabbatismum annorum.

QUÆSTIO XXI.

« ATTENDE tibi ipsi, ne fiat verbum occultum in corde » tuo iniquitas, dicens: Appropiat annus septimus, an- » nus remissionis; et malignetur oculus tuus in fratrem » tuum egenum, et non tribuas ei: et exclamabit adver- » sum te ad Dominum, et erit in te peccatum magnum<sup>2</sup>. » Magnifice occultum verbum hoc dixit; quoniam nemo audet hoc dicere qui potuerit cogitare, ideo non esse mutuum dandum indigenti, quoniam appropinquat annus remissionis, cum Deus propter misericordiam utrumque præceperit, et commodari cum quisque indiget, et remitti anno remissionis. Quomodo ergo misericorditer remis-

<sup>1</sup> Deut. xv, 2. — <sup>2</sup> Ibid. 9.

surus est illo anno quo remittendum est, si crudeliter cogitat illo tempore dandum non esse quo dandum est?

## QUÆSTIO XXII.

« Si autem venundatus fuerit tibi frater tuus Hebræus » aut Hebræa, serviet tibi sex annis, et septimo dimittes » eum liberum a te<sup>1</sup>. » Hos emptos non anno remissionis remitti voluit, quem septimum quemque observari oportebat ab omnibus; sed anno septimo emptionis ejus, quotocumque anno illorum septimus iste annus occurreret.

## QUÆSTIO XXIII.

« Omne primogenitum quod natum fuerit in bobus » tuis, et in ovibus tuis, masculina, sanctificabis Domino » Deo tuo<sup>2</sup>. Quærendum utrum quæ græce dicuntur πρωτότοκα, nec latine dici nisi « primogenita » potuerunt, in his tantum intelligenda sint, quæ nascuntur ex matribus: ipsa enim proprie pariuntur potius quam gignuntur. Parere quippe est γένειν, quod est ex foemina, unde πρωτότοκον dicitur: gignere autem est γενῆν, unde proprie latine primogenitus dicitur. « Ex foeminis autem dabantur primitiva, » id est, quæ prima pariebantur, non quæ prima gignebantur a viris, si forte ex viduis quæ jam pepererant gignerentur. Non enim aliter essent quæ aperirent vulvam, quod proprium voluit esse Lex eorum, quæ primo nata Domino debebantur. Si ergo est in his verbis certa distinctio, non frustra Dominus non dicitur a patre μονότοκος, sed μονόγενής, id est, unigenitus, quod est unicus: a mortuis autem primogenitus<sup>3</sup> quidem latine dicitur, quia non potuit latinum verbum ita componi secundum loquendi consuetudinem; græce autem πρωτότοκος

<sup>1</sup> Deut. xv, 10. — <sup>2</sup> Ibid. 19. — <sup>3</sup> Coloss. iii, 18.

dicitur, non πρωτόγενής: tanquam Pater genuerit æqualem sibi, creatura vero pepererit. Nam et quod dicitur primogenitus omnis creaturæ<sup>1</sup>, quod ibi πρωτότοκος græce legitur, potest ita intelligi secundum novam creaturam, de qua dicit Apostolus: « Si qua igitur in Christo nova » creatura<sup>2</sup>; ex qua ille primitivus est, quia primitus ita » resurrexit, ut jam non moriatur, nec ei mors ultra do- » minetur<sup>3</sup>; » quod novæ creaturæ quæ in illo est, futurum promittitur in fine. Sed ista distinctio non temere affirmanda, sed in Scripturis diligentius perscrutanda est. Movet enim, quemadmodum dici potuit in Proverbiis: « Primogenite, tibi dico fili<sup>4</sup>, » id est, ex cujus persona dictum intelligatur. Si enim ex Dei Patris persona ad Christum dicitur, (cui sententiæ utrum sequentia consonent vix est asserere,) eundem dicit primogenitum quem unigenitum; primogenitum, quia etiam nos filii Dei sumus; unigenitum vero, quoniam solus ille de substantia Patris et Patri æqualis atque coæternus est. Mirum est autem, utrum inter parere et gignere evidentissimis documentis sacra Scriptura distinguat.

## QUÆSTIO XXIV.

« Et immolabis Pascha Domino Deo tuo, oves et boves<sup>5</sup>. » Quid sibi vult hoc, quod addidit, « boves; » cum immolationem Paschæ de ove tantummodo commendaverit, quam jussit accipi ex ovibus et hœdis vel ex capris? quod mystice accipitur propter Christum, cujus ex justis et peccatoribus est origo carnalis. Non enim ait: « Ex ovibus aut capris, » licet proprie non possit intelligi ovis ex capris: sed ne forte Judæi dicerent subaudiendum caprum si dictum esset, aut ex capris; dictum est: Ex

<sup>1</sup> Coloss. iii, 15. — <sup>2</sup> 2 Cor. v, 17. — <sup>3</sup> Rom. vi, 9. — <sup>4</sup> Apud LXX, Prov. xxiv, vel xxxi. — <sup>5</sup> Deut. xvi, 2. — <sup>6</sup> Exod. xii, 5.

« ovibus et capris. » Quid ergo hic sibi volunt boves? An propter alia sacrificia quæ ipsis diebus azymorum sunt immolanda?

## QUÆSTIO XXV.

QUERENDUM quomodo præceperit observari quod ait : « Septem septimanas integras dinumerabis tibi ipsi, inchoare te falcem injicere in messem : incipies numerare septem septimanas, et facies diem festum septimanarum Domino Deo tuo, prout valet manus tua, quæcumque Dominus tibi dederit, secundum quod benedicet te Dominus Deus tuus : et epulaberis ante Dominum Deum tuum<sup>1</sup>. » Si enim ab universo populo hæc Pentecoste jussa est observari, numquid omnes uno die credendum est falcem jussos mittere in messem. Si autem sibi quisque observat istam quinquagesimam, dinumerans ab illo die quo falcem mittit ; non una est universo populo : illa vero una est quæ computatur ab immolatione Paschæ usque in diem datæ Legis in Sina.

## QUÆSTIO XXVI.

« Si autem intraveris in terram, quam Dominus Deus tuus dat tibi in sorte, et hæreditaveris eam, et habitaveris in ea, et dices : Constituam super me principes, sicut et cæteræ gentes, quæ circa me sunt ; constituendo constitues super te principem, quem elegerit Dominus Deus tuus ipsum ; ex fratribus tuis constitues super te principem ; non poteris constituere super te hominem alienum, quia non est frater tuus<sup>2</sup>. » Quæri potest cur displicuerit populus Deo, quando regem desideravit<sup>3</sup>, cum hic inveniatur esse permissus. Sed magis hinc intelligendum est, merito non fuisse secundum vo-

<sup>1</sup> Deut. xvi, 9-11. — <sup>2</sup> Id. xvii, 14, 15. — <sup>3</sup> 1 Reg. viii, 7.

luntatem Dei, quia fieri hoc non præcepit, sed desiderantibus permisit. Verumtamen præcepit, ne fieret alienus, sed frater, id est, ex eodem populo indigena, non alienigena. Quod autem ait, « non poteris, » intelligendum est, non debebis.

## QUÆSTIO XXVII.

De rege cum loqueretur ait : « Non multiplicabit sibi uxores, ut non discedat cor ejus : et argentum et aurum non multiplicabit sibi valde<sup>1</sup>. » Unde quæritur utrum David contra hoc præceptum non fecerit<sup>2</sup> : non enim unam habuit uxorem. Nam de Salomone manifestum est, quod transgressus fuerit hoc præceptum, et in fœminis, et in auro et in argento<sup>3</sup>. Sed hinc potius intelligitur permissum fuisse regibus, ut plures haberent quam unam : multiplicare enim prohibiti sunt : quæ prohibitio non habet transgressionem, si paucæ fuerint, sicut David fuerunt ; non autem multæ, sicut Salomoni. Quamvis cum addidit, « Ut non discedat cor ejus, » hoc magis videtur præcepisse, ne multiplicando perveniat ad alienigenas fœminas : per quas factum est in Salomone, ut discederet cor ejus a Deo<sup>4</sup>. Multiplicatio tamen generaliter ita prohibita est, ut etiamsi ex Hebræis solis eas multiplicasset, contra hoc præceptum fecisse merito argui posset.

## QUÆSTIO XXVIII.

« Si autem supervenerit Levites ex una civitatum tuarum, ex omnibus filiis Israël, ubi ipse incolit, secundum quod cupit anima ejus in locum, quem elegerit Dominus, » id est, si desideraverit ire ad locum ubi Dominus

<sup>1</sup> Deut. xvii, 17. — <sup>2</sup> 2 Reg. v, 13. — <sup>3</sup> 3 Reg. xi, 1, 2, etc. — <sup>4</sup> Ibid. 4.

invocatur : « et ministrabit nomini Domini Dei sui , sicut » omnes fratres ejus Levitæ , qui astant ibi coram Domino : partem partitam edet , præter venditionem , quæ est secundum familiam<sup>1</sup>. » Quam dicat venditionem , obscurum est : nisi forte quia decimationes et primogenita præcepit vendi ab eis , qui in longinquo habitarent , ne multa cogèrentur portare ad locum invocationis Domini , vel pecora ducere , ut illic ab eis denuo emerentur ex eodem pretio ; et jusserat habere ibi partem Levitam , qui maneret in ea civitate , unde illæ decimationes et primogenita debebantur . Et ideo dixit secundum familiam hoc deberi Levitæ , quoniam ex successione , qua succedit parentibus suis hoc circa eum servari oportet , quod parentibus exhibitum est .

## QUÆSTIO XXIX.

QUONIAM portentorum inspectores prohibet esse in populo Dei , quærendum est , quomodo ista portenta , quæ inspicere prohibentur<sup>2</sup> , discernantur ab eis , quæ divinitus ita dantur , ut quid significant dici debeat : sicut omnia miracula , quæ in Scripturis reperiuntur significantia quod pertineat ad regulam fidei ; sicut dicimus quid significaverit vellus in area compluta siccum , vel in sicca area complutum<sup>3</sup> : aut virga Aaron quæ floruit , et nuces attulit<sup>4</sup> ; et cætera hujusmodi . Sicut autem discernuntur divinationes , quas consequenter prohibet , a prædictionibus vel annuntiationibus Prophetarum , sic illæ inspectiones prodigiorum a significationibus divinorum miraculorum discernendæ sunt .

<sup>1</sup> Deut. xviii, 6-8. — <sup>2</sup> Ibid. ii. — <sup>3</sup> Jud. vi, 37. — <sup>4</sup> Num. xvii, 8.

## QUÆSTIO XXX.

« QUONIAM Dominus Deus vester , qui præcedit vobis » cum ex ea . Simul debellabit vobiscum inimicos vestros , » et salvos faciet vos<sup>1</sup>. » Ecce quemadmodum et in spiritualibus conflictibus sperandum et petendum est adjutorium Dei , non ut nos nihil faciamus , sed ut adjuti cooperemur . Sic enim ait : « Debellabit » vobiscum , » ut etiam ipsos acturos quod agendum esset ostenderet .

## QUÆSTIO XXXI.

« ET loquentur Scribæ ad populum dicentes : Quis est » homo , qui ædificavit domum novam , et non dedicavit » eam ? Vadat , et revertatur in domum suam , ne moriatur in bello , et homo alius deducet ea . Et quis est homo , » qui pastinavit vineam , et non est epulatus ex ea ? Vadat , » et revertatur in domum suam , ne moriatur in bello , et » homo alius epuletur ex ea . Et quis est homo , qui » sponsavit uxorem , et non accepit eam ? Vadat , et re- » deat in domum suam , ne moriatur in bello , et » homo alius accipiat eam<sup>2</sup>. » Possunt movere ista , quasi meliore conditione moriantur in bello , qui jam dedicaverunt ædificia sua , jamque epulati sunt de novellis , jamque duxerunt sponsas suas , quam ii qui nondum . Sed quoniam his rebus tenetur humanus affectus , et magni æstimantur hæc ab hominibus , intelligendum est ad hoc ista dici in bellum procedentibus , ut quisquis animo his tenetur , appareat cum revertitur ; ne propter hoc minus fortiter agat , dum timet ne ante moriatur , quam domum dedicaverit , aut de novella sua biberit , aut sponsam suam duxerit . Nam utique quantum ad fœminam pertinet , melius alteri nubit intacta quam vidua : sed hæc , ut dixi , instituta sunt propter virorum animos explorandos .

<sup>1</sup> Deut. xx, 4. — <sup>2</sup> Ibid. 5-7.

## QUÆSTIO XXXII.

« Non erunt vasa viri super mulierem<sup>1</sup> : » vasa bellica vult intelligi, id est, arma. Nam quidam etiam hoc interpretati sunt.

## QUÆSTIO XXXIII.

« Si autem quis acceperit uxorem, et habitaverit cum » ea, et oderit eam, et imponat ei occasionis verba, et » detulerit ei nomen malignum, et dixerit : Mulierem » hanc accepi, et accedens ad eam non inveni ejus virginalia : et accipiens pater puellæ et mater producent » virginalia puellæ ad seniores ad portam et dicet pater » puellæ senioribus : Filiam meam hanc dedi homini » huic uxorem, et odio habens eam, ipse nunc imponit ei occasionis verba dicens : Non inveni filiæ » tuæ virginalia : et ecce virginalia filiæ meæ. Et replicabunt pallium coram senibus civitatis illius. Et accipient senes civitatis hominem illum, et castigabunt » eum, et damnificabunt eum centum siclis, et dabunt » patri adolescentulæ; quia protulit nomen malum super » virginem Israëlitem : et ipsius erit uxor, non poterit » dimittere eam perpetuo tempore. Si autem verum factum sit hoc verbum, et non inveniantur virginalia » puellæ, et producent adolescentulam ad januam domus » patris ipsius; et lapidabunt eam viri civitatis ejus in lapidibus, et morietur; quoniam fecit impudentiam in » filiis Israël, prostituere domum patris sui : et auferes » malignum ex vobis ipsis<sup>2</sup>. » Satis hinc apparet quemadmodum subditas foeminas viris, et pene famulas Lex esse voluerit uxores : quod dicens adversus uxorem vir testimonium unde lapidaretur illa, si hoc verum esse demonstraretur; ipse tamen non vicissim lapidatur, si hoc

<sup>1</sup> Deut. xxii, 5. — <sup>2</sup> Ibid. 13-21.

falsum esse constiterit, sed tantummodo castigatur, et damnificatur, eique perpetuo jubetur adhærere qua carere voluerat. In aliis autem causis, eum qui testimonio falso cuiquam nocuerit, quem si probaretur jussit occidi, eadem poena plecti jubet, qua fuerat, si verum esset, iste plectendus.

## QUÆSTIO XXXIV.

« Si autem invenerit aliquis puellam virginem, quæ » sponsata non est, et vim faciens ei dormierit cum ea, » et inventus fuerit; dabit homo, qui dormivit cum ea, » patri puellæ quinquaginta didrachma argenti, et ipsius » erit uxor : quia humiliavit eam, non poterit dimittere » eam per omne tempus<sup>1</sup>. » Merito quæritur, utrum ista poena sit, ut non eam possit dimittere per omne tempus, quam inordinate atque illicite violavit. Si enim ob hoc intelligere voluerimus eam non posse, id est, non debere dimitti per omne tempus, quia uxor effecta est, occurrit illud quod permisit Moyses dare libellum repudii, et dimittere<sup>2</sup>. In his autem qui illicite vitiant, noluit licere, ne ad ludibrium fecisse videatur, et potius finxisse quod eam uxorem duxerit, quam vere placitoque duxisse. Hoc et de illa jussum est, cui fuerit vir calumniatus de virginalibus non inventis<sup>3</sup>.

## QUÆSTIO XXXV.

« Non intrabit Ammanites et Moabites in Ecclesiam » Domini, et usque ad decimam generationem non intrabit in Ecclesiam Domini, et usque in æternum<sup>4</sup>. » Quæstio est, quomodo intraverit Ruth quæ Moabitis fuit<sup>5</sup>, de qua etiam caro Domini originem ducit. Nisi forte istam

<sup>1</sup> Deut. xxii, 28, 29. — <sup>2</sup> Id. xxiv, 1. — <sup>3</sup> Id. xxii, 19. — <sup>4</sup> Id. xxiii, 3. — <sup>5</sup> Ruth. i, 22.

mystice prophetaverit intraturam, quod ait : « Usque ad » decimam generationem<sup>1</sup>. » Computantur enim generationes ex Abraham quando fuit et Lot, qui genuit Moabitas et Ammanitas ex filiabus, et inveniuntur cum ipso Abraham compleri decem generationes usque ad Salmon, qui genuit Booz, qui maritus secundus fuit Ruth. Sunt enim istæ, Abraham, Isaac, Jacob, Judas, Phares, Esrom, Aram, Aminadab, Naason, Salmon<sup>2</sup> : Salmon quippe genuit Booz, qui viduam duxit Ruth ; ac per hoc videtur post decimam generationem genus fecisse in Ecclesia Domini pariendo filios ipsi Booz. Sed cur additum sit, « Et usque in æternum, » merito adhuc quæritur, an quia deinceps nulla anima de Ammanitis et Moabitis intravit in illam Ecclesiam populi Hebræorum, posteaquam ista generatione decima prophetia completa est? An potius ita dictum est, « Et usque ad decimam generationem, » ut omnino semper intelligi voluerit, per denarii numeri quamdam universitatem, ut hoc exposuerit quodam modo addendo et dicendo, « Et usque in æternum? » Quod si ita est, Ruth contra præceptum vetitum videtur admissa. An Ammanitas prohibuit admitti, non Ammanitidas, id est, viros inde, non foeminas? maxime quia cum evertissent Israëlita ipsam gentem, omnes viros occidere jussi sunt, foeminas autem non, nisi eas quæ noverant concubitum viri<sup>3</sup>; quoniam ipsæ in fornicationem seduxerant populum : virgines autem salvas esse voluerunt, non eis imputantes culpam, quam everti illa gens meruit : quam etiam hic commemoravit, velut quæreretur cur Moabitas et Ammanitas admitti noluerit in Ecclesiam Domini : subjunxit enim : « Eo quod non obviaverint vobis cum » panibus et aqua in via, cum exiretis de Ægypto, et » quia conduxerunt adversum te Balaam filium Beor de

<sup>1</sup> Matth. 1, 5. — <sup>2</sup> Gen. xix, 37, 38. — <sup>3</sup> Num. xxxi, 17, 18.

» Mesopotamia, ut malediceret te<sup>1</sup>. » Has culpas nec tunc, quando illa gens debellata est, foeminis imputaverunt, quas salvas conservare maluerunt.

## QUÆSTIO XXXVI.

« Non trades puerum domino suo, qui appositus est » tibi a domino suo<sup>2</sup> : » non quod dominus ejus eum apposuerit, id est, commendaverit; potius enim depositum diceret; sed appositum dixit a domino suo, id est, huic adjunctum, cum ab illo abscessisset : non ergo suscipi, sed reddi potius prohibuit fugitivos<sup>3</sup>. Hoc quidem putari potest, nisi intelligamus genti et populo ista dici, non uni homini. Ex alia itaque gente refugientem ad istam gentem cui loquebatur hominem a domino suo, id est, a rege suo, reddi prohibuit. Quod etiam alienigena servavit Achis rex Geth, quando ad eum refugit David a facie domini sui, hoc est, regis Saül<sup>4</sup>. Apertissime autem hoc explanat, cum dicit de ipso refuga : « In vobis habitabit, in omni » loco ubi placuerit ei<sup>5</sup>. »

## QUÆSTIO XXXVII.

« Non erit meretrix a filiabus Israël, et non erit forni- » cans a filiis Israël<sup>6</sup>. » Ecce ubi manifeste prohibuit fornicari et viros et foeminas etiam cum non alienis conjugibus : peccatum esse demonstrans misceri non conjugibus suis, quando et meretrices esse, et ad meretrices accedere prohibet, quarum publice venalis est turpitudine. In Decalogo autem mœchiæ nomine non videtur hoc aperte prohibuisse<sup>7</sup>, quoniam mœchia non nisi adulterium intelligi solet. Unde quid nobis videretur, ibi tractavimus<sup>8</sup>.

<sup>1</sup> Deut. xxiii, 4, 5. — <sup>2</sup> Ibid. 15. — <sup>3</sup> Forte *iniquum*. — <sup>4</sup> 1 Reg. xxi, 10. — <sup>5</sup> Deut. xxiii, 16. — <sup>6</sup> Ibid. 17. — <sup>7</sup> Exod. xx, 14. — <sup>8</sup> Vide lib. ii, quæstiones in Exod. quæst. lxxi, n. 4.

## QUÆSTIO XXXVIII.

« Non offeres mercedem meretricis; neque commutationem canis in domum Domini Dei tui ad omne votum, » quoniam abominatio Domino Deo tuo est, et utrumque<sup>1</sup>: » quod ita intelligitur, quoniam abominatio Domino Deo tuo est, et hoc non unum horum, sed utrumque. De cane quippe vetat fieri commutationem primogenitorum, quam jubet fieri de aliis immundis animalibus, id est, equis et asinis, et si quid est eorum quæ adjuvant hominem, et latine a juvando jumenta dicuntur. De cane autem noluit, utrum et de porco; et quare noluerit, requirendum est: et si de omnibus talibus noluit, quare solum canem isto loco exceptum fecerit. De mercede autem meretricis ut diceret, videtur ea esse causa, quia superius prohibuerit esse meretricem de filiabus Israël, aut quemquam filiorum Israël uti meretrice<sup>2</sup>, et ne subreperet cogitationi, expiari posse hoc peccatum, si aliquid inde offerretur in templum, dicendum fuit quod sit abominatio Domino.

## QUÆSTIO XXXIX.

« Moriatur fur ille, » id est, qui furatus est hominem: « Et auferetis malignum ex vobis ipsis<sup>3</sup>. » Assidue hoc dicit Scriptura, cum jubet occidi malos: qua locutione usus est etiam Apostolus, cum diceret: « Quid enim » mihi de iis qui foris sunt judicare? Non de iis qui » intus sunt vos judicatis? Auferte malum ex vobis ipsis<sup>4</sup>. » Nam græcus habet τὸν πονηρὸν, quod etiam hic scriptum est: hoc autem potius malignum solet interpretari, quam malum. Nec ait τὸ πονηρὸν, id est, hoc malignum; sed τὸν πονηρὸν, quod est, hunc malignum. Ex quo apparet eum voluisse intelligi, qui aliquid tale commisit, ut excommunicatione

<sup>1</sup> Deut. xxiii, 18. — <sup>2</sup> Ibid. 17. — <sup>3</sup> Id. xxiv, 7. — <sup>4</sup> I Cor. v, 12, 13.

sit dignus. Hoc enim nunc agit in Ecclesia excommunicatio, quod agebat tunc interfectio. Quamvis et aliter illud apostolicum possit intelligi, ut unusquisque malum vel malignum ex se ipso sit jussus auferre. Qui sensus acceptabilior esset, si hoc malum, vel hoc malignum, non autem hunc malignum in græco inveniretur: nunc vero credibilius est, de homine dictum, quam de vitio. Quamquam possit eleganter intelligi etiam homo auferre a se malum hominem, quemadmodum dictum est: « Exuite » vos veterem hominem: » quod exponens ait: « Qui » furabatur, jam non furetur<sup>1</sup>. »

## QUÆSTIO XL.

« Secundum legem omnem, quam juraverint vobis sacerdotes Levitæ<sup>2</sup>. » Hic apparet omnem sacerdotem Levitam fuisse: quamvis non omnis Levites sacerdos fuerit.

## QUÆSTIO XLI.

« Si debitum fuerit in proximo tuo, debitum quodcumque, non intrabis in domum ejus pignerare pignus: » foris stabis, et homo apud quem debitum tuum est, » proferet tibi pignus foras. Si autem homo eget, non » dormies in pignore ejus, redditione reddes ei vestimentum suum circa occasum solis, et dormiet in vestimento » suo, et benedicet te, et tibi erit misericordia coram » Domino Deo tuo<sup>3</sup>. » Non immerito videtur ad opus misericordiæ pertinere, ut non intret pignerator in domum, ne fiat perturbatio debitori: sed ex hoc etiam ipsum debitorem admonet pignus foras proferre creditori. Quod vero jubet egenti pignus eodem die restitui, ut in eo dormiat, qui non habet ubi dormiat, merito movet, ut requiratur cur non potius creditori præceperit ut non au-

<sup>1</sup> Ephes. iv, 22 et 28. — <sup>2</sup> Deut. xxiv, 8. — <sup>3</sup> Ibid. 10-13.

ferat pignus, quod eodem die oportet ut restituat. Quod si ad compellendum debitorem fieri voluerit, quomodo se urgeat ad reddendum, cum sciat pignus eodem die se recepturum? An forte hoc fieri voluerit propter memoriam, ne obliviscatur reddere, et tunc non reddat si vere non habuerit: maxime quia creditoris sui misericordia vincitur, cui esse non debet ingratus, si pignus receperit, in quo dormiat: simul et creditor cum ille non reddiderit, debet eum credere non habere, qui hac etiam indiget misericordia, ut pignus ei propterea restituatur, quod aliud non habet ubi dormiat?

#### QUÆSTIO XLII.

« Non morientur patres pro filiis, et filii non morientur » pro patribus: unusquisque in suo peccato morietur<sup>1</sup>. » Ecce non solum Prophetæ hoc dixerunt, verumetiam Lex dicit, sua culpa quemque interimendum, non autem patris sui, aut filii sui<sup>2</sup>. Quid est ergo quod alibi dicitur, « Deus » reddens peccata patrum in filios in tertiam et quartam » progeniem<sup>3</sup>? » An de filiis nondum natis illud intelligitur, propter originale peccatum, quod etiam ex Adam traxit genus humanum; hic autem de filiis jam natis est facta distinctio, ut unusquisque in suo peccato moriatur? Non enim trahit aliquid ex patre, qui jam natus erat, quando pater ejus peccavit. Sed cum et ibi dicit, « His qui ode-  
« runt me; » manifestum est etiam illam conditionem posse mutari, si filii parentum suorum facta non fuerint imitati. Nam et illud ex Adam temporaliter redditur, quia omnes propter hoc moriuntur: non autem in æternum eis, qui fuerint per gratiam spiritaliter regenerati, in eaque permanserint usque in finem. Quamvis et illud merito quæri possit, si redduntur peccata patrum in filios his, qui ode-

<sup>1</sup> Deut. xxiv, 16. — <sup>2</sup> Ezech. xviii, 17. — <sup>3</sup> Exod. xx, 5.

runt Deum, cur in tertiam et quartam generationem, vel prætermissa prima et secunda, vel non etiam in cæteras permanente impietate et imitatione malorum parentum. An per hunc numerum, quoniam septenarius intelligitur, universitatem significare voluit: et ideo non ipsum potius septenarium posuit, ut diceret in septimam generationem, ac sic omnis intelligeretur; quia causam perfectionis hujus numeri, hoc modo potius intimavit? Ideo namque perhibetur perfectus, quia ex his duobus constat, ternario scilicet primo impari toto, et quaternario primo pari toto. Unde esse et illud propheticum existimo, quod assidue repetitur: « In tribus et quatuor impietatibus non aversabor<sup>1</sup>: » per quod voluit impietates universas potius, quam tres vel quatuor intelligi.

#### QUÆSTIO XLIII.

« Non declinabis iudicium advenæ, et orphani, et viduæ. Non pignerabis vestimentum viduæ<sup>2</sup>. » Cur non ait: « Et non pignerabis vestimentum eorum? » Quæ enim causa est, ut trium istorum iudicium declinare vetuerit, pignus autem auferri vestimentum solius viduæ, non et illorum? nisi quia iudicia omnium facienda propterea commendavit, quia non habent a quibus defendantur sive advena, quia in terra aliena est; sive orphanus, id est, pupillus, quia parentibus caret; sive vidua, quia maritum non habet. Pignus vero cum prohibet vestimentum auferri viduæ, puto quod satis eleganter admoneat, eas vere dicendas esse viduas, quæ etiam pauperes sunt. Id enim et Apostolus evidenter ostendit; ubi ait: « Si » qua autem vidua filios aut nepotes habet, discat primum » domum suam pie tractare, et mutuam vicem parentibus » reddere: hoc enim acceptum est coram Domino. Quæ

<sup>1</sup> Amos, 1, 3. — <sup>2</sup> Deut. xxiv, 17.